THESES ALIQVOT PHILOSOPHICAE, Quas

Auſpice & propitio numine, ingenui aliquot Adoleſcentes Collegii Leonardini alumni, ad lauream Magiſt. adſpirantes, in quadrimi laboris ſpecimen publice pro virili propugnabunt, ad diem Julii an. Dom. 1628. horis & loco ſolitis.

Præſide *KENTEGERNO MORAIO.*

Edinburgi, Excudebat *Ioannes Wreittonus.*

NOBILISSIMO
&
AMPLISSIMO DOM.

DOM. IACOBO LEONI, Splendidissimo Baroni de Aldbar, & Illustrissimi D. Ioannis *Kingorniæ* Comitis *fratri germano*, S.

NOn fuit nobis Tyronibus propositum (Nobiliss. Dom.) tuum genium digno aliquo donario adorare, cuius splendori Clariss. virorum ingenia, suos fasces submittere deberent. Sed quia iuvenilis verecundia, privatis antehac umbraculis assueta, insolitæ lucis novitate labascit; & maledicendi licentia omnium fere hominum mentes, quasi afflatas quodam pestilenti sidere invasit, tuum Patrocinium eorum furiis & furori opponeluimus, qui nos impune in publicum prodire non permittent. Non ignoravimus tam eximium heroem in summo generis & eruditionis fastigio positum non nisi religiose adiri debere; nec fuissent ausæ Philosophicæ nostræ ineptiæ graviores tuas curas interpellare, nisi eam esse indolem generosæ altitudinis intelligeremus, vt suæ Maiestatis interesse putet, se facili comitate ad eos sublevandos demittere, quorum abiecta fortuna longe infra suam magnitudinem subsidit. Viri etiam magni, qui emeritis tyrocinii stipendiis, ad summam virtutis & sapientiæ maturitatem adoleverunt, non abhorrent a puerilibus iis studiis, quæ tanquam præludia graviorum exercitationum primam adolescentiam iucunde exercuerunt, priusquam severiores curæ integram animi pacem libassent. Eo certe audacius tenellæ nostræ Musæ ad te accurrunt, eo familiarius ad tuum præsidium confugiunt, quod in hac ipsa tyrocinii palæstra, inter literarias has Philosophorum lites, tua indoles primo Martis nervo litavit, & primos industriæ actus tanquam obsides tuæ existimationis hominibus dedit. A quibus auspiciis progressa tua constantia eo te perduxit, vt nemo sit a quo firmius præsidium exspectare liceat. Si enim mature factam eam virtutis & eruditionis sementem, ingenii impetus, aut spontè deserens, aut illecebris vitiorum, quæ fert adolescentia & fatum [illegible] extimulus sequenti cultura defraudasset, tam cumulata sapientia & [illegible] tuam iuventutem non locupletasset, quæ longo rerum usu edo[illegible] maximum putatur ornamentum. Ita est comparatum corruptæ[illegible]uli moribus (vtinam liceret sine tam tristi querela tuæ virtuti [illegible]) vt quibus sors nascenda cum hereditario splendore, non solum fortuna

tunæ sed etiam naturæ dotes benignius indulsit, quibus Resp. & Ecclesiæ præcipuas suas spes demandare debebant, voluptatum blanditiis captî, literarum & scientiæ maiestatem vecordi stupore & luctuoso Reip fastidio eludant: ab iis tamen erroribus Clariss: tuæ indolis torrens, in suum alveum coactus procul a vitiorum sordibus & cæno, per amæna Musarum vireta, per multo ditiores quam Tagus vel Pactolus arenas, magno impetu decurrit. Sciebas homines non prædiis, non supellectili, non aliis pignoribus fortunæ obnoxiis, non degeneris nobilitatis inani titulo, sed cultu & ornamento ingenii. non mundo (vt ita dicam) muliebri sed virili censeri debere: ideo omnes tuas opes, non in ædem Saturni sed in arcem Minervæ congessisti, vt quem splendor natalium nobilem, morum indoles amabilem, gravitas & vis matura ingenij illustrem fecit, eruditio omnibus numeris absoluta multo faceret augustiorem. Colis autem literarum studia, non eorum more qui in vmbratili studiosæ vitæ secessu, desidiose marcentes, cum in celebritatem civilem prodeunt, tanquam in alium terrarum orbem delati, rerum gerendarum rudes, attoniti obstupescunt. Tua virtutis & prudentia, cator thomata, cum pro data occasione in rerum actu versaris, satis refutant eorum calumniam qui literarum studiosos criminantur, tanquam rebus & honoribus gerendis inutiles, & ad blattarum contubernium damnandos existimant. Te exteræ nationes, quibus post multa tempora maius depositum non credidimus, non solum doctiorem & bonis moribus magis excultum, sed etiam prudentiorem ad publica munera capessenda patriæ reddiderunt. Nec dubitant qui redivivam in te maiorum tuorum virtutem conspiciunt, quin Resp. si publici aditus virtuti patuerint, nou minus tibi quam Clariss. Avo & Parenti tuo sit debitura. Sed vmbratilis est, virtus quæ scenæ politicæ servit & apud homines totius theatri plausum excitat, nisi altius emicans, in res sublimes & æternas suas cogitationes defigat: tu cum totum liberalium disciplinarum orbem ignea illa mente tua complexus fuisses, rerum divinarum incredibili studio accensus, in cælestem Philosophiam divini iuris interpretem totis viribus incubuisti, vnde factum est vt tua pietas caduca omnia animose conculcans, & summa cum veræ religionis reverentia, a teterrima superstitione quæ orbi illudit, abhorrens, ita virtutis splendorem & Maiestatem illustraverit, vt nihil supersit quod tanta amplitudini accedere possit. Ad tantum fulgorem nobis oculorum acies perstricta hebescit, & rudem hanc nostram opellam, quam nec commendat rerum dulcedo, nec verborum ornatus (Philosophia adhuc Scholasticorum barbarie gaudente) tibi offerre puderet, nisi indoles tua ad humanitatis genium probe efficta, non minus repulsæ metum eximeret, quam nominis splendor tutum & sublime præsidium sponderet. Accipe igitur quas tuo honori efferimus laboris nostri primitias, hoc qualecunque ingenii nostri specimen, tua lu[ce] perfunde, tua authoritate muni & protege, nos in tu[a] clientela recipe, qui te fautore et Patrono nihil impotentis maledicentiæ re[ferre] nihil ad a[ni]pertum certamen stantes in procinctu acies timebimus, [ne]que vultus sugil-

la-

lationes morabimur, sed quasi Minervæ ipsius suffragium emeriti nobis videbimur. Tibi autem Clariss. Dom. tanto auctoramento obstricti, in perpetuum obnoxii, & ad omne obsequium mancipati manebimus. Deum Opt. Max. nunquam rogare cessantes vt te Patronum nostrum Spectatissimum spiritu suo regat, omnibusque animi corporis & fortunæ bonis cumulatissime augeat. Vale.

Tui honoris studiosissimi

A. L. M. C.

Alexander Balcanquallus.
Alexander Dickeus.
Alexander Robertsonus.
Alexander Wedderburnus.
Andreas Inkineus.
Gilbertus Mont-altius.
Gualterus Brusius.
Henricus Echlinus.
Henricus Wilichius.
Joannes Davidsonus.
Ioannes Drummondus.
Joannes Shawius.
Joannes Sterlinus,
Nicolaus Kinnerius.
Robertus Echlinus.
Thomas Thomsonus.

THESES LOGICAE

I.

IN Logica docente definiuntur notiones, cum nec fabricantur, nec vllares ſubſtrata mente concipitur: in logica vtente ſæpe fabricantur inſtrumenta logica, cum nulla ſubit cogitatio de notionibus quæ tamen de inſtrumentis illis verè prædicantur.

1. In fabricandis 2. notionibus fruſtra præter actum intellectus res ſubſtratas intelligentis, alius actus reflexus ad notiones imponendas requiritur.

2. Falſum eſt notiones non eſſe niſi dum mente concipiuntur, & q[illegible]oties cogitantur fabricari: longe enim aliud eſt ſyllogiſmum mente concipere & eum fabricare.

3. Non bene definitur ens rationis, cujus totum eſſe eſt cogitari vt ens.

4 [illegible]. notiones nihil aliud ſunt, quam conditiones, quæ conſequuntur rerum cognitionem, & ijs in *eſſe cog* veniunt quum extra mentem non inſint.

5. Logica finem habet ſui ſubjecti cogniti[illegible] orem, & ad artes non ſcientias eſt referend[illegible]

II. *Non aliæ notiones relativæ haberi debent ad aliam notionem tanquam ad terminum refer.*

1. Dicant qui notion[illegible] omnes ab[illegible] termir[illegible]

bet, quod per naturam dari poteſt licet actu non exiſtat.

2. Speciei cum genere eſt commune, quod maneat nullo particulari exiſtente: hoc tamen diſcrimen agnoſco, quod ſpecies abſtrahatur cum vnum tantum individuum per naturā dari poteſt, genus non niſi plures ſpecies dentur.

3. Male vulgo dicunt vniverſalia negative æterna eſſe, quia non per ſe ſed in ſingularibus tantum intereunt, omnino enim non intereunt, nec vehuntur eadem nave cum ſingularibus.

4. Scientiæ ſunt de rebus æternis, & hypotheſes non ſupponunt actualem exiſtentiam ſubjecti.

5. Si Avicenna Ens *Participialiter* accepit, non male aſſeruit accidentaliter de decem generibus dici.

IV. Ea omnia poſſunt cogitatione compoſitâ ſeparari, quæ ſine contradictione negari poſſunt.

1. Secum pugnant, qui dicunt proprium cogitatione tantum ſimplici a ſubjecto abſtrahi, per abſolutam tamen potentiam, actu divelli poſſe.

2. Per Dei potentiam non poteſt Triangulum dari, quod non habet tres angulos æquales &c. & neceſſarium eſt ax-
... Patribus vſurpatum, ἢ τῶν ἰδιοτήτων ἀναιρεσις φύσεως
...

...is miraculoſe proprietatum actiones mutat aut
...prietates ipſas nunquam adimit, & recte di-
tollere potentiam *virtualem*, nunquam autem

...od apud Metaph. obtinuit, ea poſſe
... Deo ſubtrahente ſuum

rent incommunicabilitatem (vt voluit Thom.) nullæ essent Angelorum species.

4 Solus Deus singularitatem & existentiam sibi essentialem habet.

5. Dicatur differentia individualis, (quam Scot. Hæcceitatem vocat) individuationis principiũ, si hæc duo mihi cõcedas. 1. non differre nisi ratione a natura specifica. 2. nihil ei superaddere præter ipsam singularitatem, & proinde individua per suas diff. nec essentialiter nec accidentaliter, sed tantum numero differre.

6. Abstrahere naturam superiorem non est eam exuere circumstantiis loci, temporis, &c. res enim ijs nudata potest manere singularis.

VI. Nemo ignorat qui geometriam a limine salutavit, a quant. terminatione peti quant. divisiones, & inde etiam profluere pleraſq; affectiones quæ de ea demonstrantur.

1. Ratio figuræ aut ad essentiam specierum quant. pertinet, aut Geometria suũ subjectũ non considerat quatenus est quantitas.

2. Falsum est figuras Mathem. ratione areæ tantum ad Categ. quant. & ratione figuræ non nisi ad qualit. referri.

4. Quod est indirecte in vna Categ. in alia directe locum habere potest: quod tamen de differentijs Substantiarum dicere pace Arist. non licet.

5. Quantitatem actu infinitã dari contradictionẽ implicat.

6. Nec negarẽ vltimã vnitatẽ, ad formale numeri pertinere.

VII. Qualitates etiã in remisso gradu sunt contrariæ, & pro modulo viriũ mutuã perniciem moliuntur, non minus quã si intensissimæ sint

1. Non est verum contraria in remisso gradu eidem subjecto inesse.

2. In subjecto tepido ex calore & frigore refractis, exurget vna qualitas media.

3. Communis ergo sententia aut falsa est aut nihil sibi vult, quam quantitates intensas coalescere non posse ad vnam constituendam, sicut possunt qualitates remissæ.

VIII. Actiones immanentes, quæ & ante & post acquisitum habitum eliciuntur, sunt actus secundi, a quibus subjectum denomi-

minatur agens non quale.

1. Sunt veræ actiones & in Categ. actionis collocandæ.

2. Habitus non est earum actionum terminus.

3. Non omnis actio est alicujus termini accipientis *esse* per ipsam: nec impossibile est actionem esse vltimam perfectionem naturæ absolute operantis.

4. Falsa sunt quæ habentur apud Scot. l. 1. d. 3. q 6. 1. omnis actionis esse terminum aliquem realem. 2. operationes immanentes esse qualitates 1. speciei 3. omnem perfectionem accidentalem substantiæ spiritualis esse qualitatem primæ speciei.

IX. Anima in vna corporis parte magis est radicata quã in aliâ.

1. Intensio accidentium non fit tantum per maiorem radicationem in subiecto.

1. Intenduntur ergo per *additionem* (vt loquuntur) & ipsa entitas qualitatum recipit magis & minus non sola existentia.

3. Non solum dicitur subiectum magis vel minus calidum, sed etiam in abstracto calor dicitur maior vel minor: licet nefas sit dicere eum esse magis vel minus calorem.

4. Potest aliquid entitati rei accedere vel detrahi essentia invariata, vt in corporum accretione luce est clarius.

X. Veritas est in cognitione judicativa non in apprehensiva.

1. Ergo tantum in conceptu composito non in simplici.

2. Falsissimum est quod putant Conim. & Fonseca veritatem logicam recte dividi in simplicem & complexam.

3. Conceptui simplici non alia convenit veritas, quam quæ est in essentia omnis signi, quod nisi representet illud cujus est signum, non potest ejus signum esse: proinde non alia convenit ei veritas quam transcendentalis.

4. In conceptu simplici non datur falsitas, quemadmodum nulla est falsitas transcendentali opposita nec est objectum [illegible] per modum *positivæ repugnantiæ*, sed tantum per modum *negationis* quod non sit ejus signum cujus esse putatur.

5. Thomas obscuram affert rationem cur sit veritas in con-

conceptu compositio, non in simplici quod n. sit ibi veritas non solum in subjecto sed etiam in objecto: Suarez fallitur, quod conceptus attributi sit conformis conceptui subjecti: dicendum non aliunde esse, quam quod vox simplex nude tantum apprehensioni rem repræsentet: vox autem composita proponat etiam aliquid judicio, & significet rem ita se habere extra mentem.

XI. Orationis partes significant separatim.

1. Vox simplex etiam in enunciatione significat mediante suo conceptu simplici.

2. Compositus enunciationis conceptus constat ex duobus simplicibus.

2. Longe a veritate & ab Arist. discedunt, qui volunt conceptum complexum esse compositum *virtualiter* & *objective* non *formaliter* & præsupponere simplices terminorum conceptus non includere.

XII. Syllogismus hic in regulas non peccat, omne ridens exercet actum ridendi, omne ridens est homo. ergo aliquis homo exercet actum ridendi.

Hoc igitur supposito quod nullus homo rideat si conclusio illius syllog. sit vera, minor potest converti, sin falsam dicas falsa erit etiam minor: & proinde frustra talia exempla proferuntur ad labefactandas regulas conversionum quas Phil. validis rationibus stabilivit.

XIII. Inductio quam vult Arist. in 3. figura exstrui, dicitur Species argumentationis 1. Top. c. 12, & appellationem syllogismi accipit 2. Pr. c 23. p. 2. & 5.

1. Quo jure appellationes illas Ectheſi denegabimus? quæ non magis in singularibus versatur quam inductio.

2. Non magis probatur idem per idem Syllogismo Expositorio, quam Syllogismis in Darapti.

3. Principia illa quibus Ectheſin niti dicunt [illegible] sunt eadem *vni tertio* &c. non sunt diversa [illegible] principijs ali[illegible]

4 Non soli Syllogismi, 1, f[illegible] nullam rem am evidentiam manifestandam[illegible]

5. Omnis argumentatio est [illegible] male vocatur ge[illegible]

6.

6. Intellectus singularia per se & directe intelligit.

XIV. Medium semper oportet sit notius conclusione, & cum est confuse cognitum nunquam parit distinctam conclusionis notitiam.

1. Demonstratio a posteriori non parit eam cognitionem principij, qua novimus esse primum & immediatum.

2. Inter primum & secundū discursum in regressu intercedit actus mentis, quo immediatam necessitatem percipit,

3. Omnis argumentatio est circularis quæ immediate redit eidem vnde incepit, sive sit dialectica sive demonstrativa.

4. Principia omnia sunt per se nota, & intellectus nunquam est habitus discursivus.

5. Via confusæ cognitionis non est via inveniendi scientias, sed tantum ad eam præparatoria, & ne in prima quidem inventione scitur conclusio nisi per causam.

6. Eadē est via qua inveniuntur scientiæ, & qua docentur.

XV. Omnis Syllogismus lucem affert suæ conclusioni, & simplex terminus non est objectum scibile.

1. Scientia omnis est integræ conclusionis, & falsum est demonstratione per causam externam acquiri scientiam tantum majoris extremi.

2. Si omnis Syllogismus esset vera demonstratio, in quo reciprocus & causalis est nexus majoris extremi & medij, haberi posset scientia licet affectio trianguli de Isoscele ligneo demonstraretur.

3. Conclusio demonstrationis per causam externam est per se secundo modo, sicut etiam minor.

4. Dantur demonst. accidentium communium, & omne attributum per se 2. modo dimanat ab essentia subiecti.

XVI. Illud tantum orationis quod dicitur quod κατὰ τὸ ῥητὸν profertur.

1. Non omne *dicitur* quod verbis continetur, & merito est illud viurpatum quod esse in Scriptura quæ non di[illegible] Scriptura.

[illegible] illo Syllogismo, *tu dicis te esse animal* &c. [illegible]aperte falsa, & frustra de loco ei inter captiones [illegible]o plurimi fuerunt solliciti.

THE-

THESES ETHICAE.

Fruimur (inquit Aug:) cognitis in quibus voluntas delectata conquieſcit.

1. Recte affirmant Schol. cognitionem *antecedenter*, delectationem & quietationem (liceat cum ijs barbare loqui) intrinſece ad fruitionē pertinere, illā vt genus hanc vt differr.

2. Fruimur tantum præſentibus, & male a Lombardo definitur *frui*, amore alicui inhærere propter ſe: amamus enim flagrantiſſime quibus non datum eſt potiri.

3. Solus Deus eſt ſummum hominis bonum objectivum, & ſumma delectatio qua animus in beata Dei viſione perfunditur, eſt ſummum hominis bonum formale.

4. Nihil mihi commune eſſe volo, cum belluina voluptuariorum felicitate, ſummum tamen hominis bonum voluptatem eſſe affirmo, & aliquid actione virtutis vlterius.

5. Maximus dolor damnatorū eſt ſummū hominis malū.

II. *Non poteſt Creatura rationalis & intelligens, non teneri ex naturæ debito, pietatis & ſanctitatis Deo, juſtitiæ & charitatis officia alijs præſtare.*

1. Non potuit homo ab ijs ſolvi, ad quæ lex naturæ primi hominis animo inſculpta eum obſtrinxit.

2. Naturalis felicitas homini obtingere non poteſt, ſine rectitudine quam lex Dei exigit: nec ipſam naturalem felicitatem niſi leviter attigit Philoſophus.

3. Iuſtitia originalis fuit donum naturale ſine quo natura integra eſſe nequit.

4. Ineptiſſima ſunt quæ garriunt Schol. de hominis ſtatu in *puris naturalibus*; & falſiſſimum eſt illud Voſſij: quod potuit Deus relate (propter peccatum) potuit etiam abſolute, homini ſc. juſtitiam originalem denegaſſe.

5. Supra naturam fuit quod Deus homini, ſi primo pacto ſtetiſſet, cœleſtem gloriam decrevit, finis enim ille eſt *ſupereminens* non *proportionatus*, & potuit minus præmium ejus be-

obsequio destinasse: quare vi supernaturali egebat homo vt crederet, expeteret, & speraret eam felicitatem, aliud in eo supernaturale nihil agnosco.

III. *Nullum virtutis officium moraliter bonum censeri debet, nisi præstetur tanquam obsequium Creatori debitum.*

1. Voluntas Dei est hominibus regula justitiæ, & obedientia est anima omnis virtutis.

2. Nunquam potuit esse actio bona moralis sine fide.

3. Nulla vera virtus sine vera religione & pietate.

4. Vmbram tantum virtutis agnovit Phil. qui in ipsius definitione exegit ad Lesbiam humanæ rationis normam.

5. In homine irregenito non sunt vires ad bonum morale præstandum.

6. Opera Ethnicorum per se fuerunt bona & commendabilia, sed nego fuisse actiones virtutis.

IV. *Si Metaphysice loqui velimus actio eadem est specie vltima quæ fit in adulterio, & in legitimo conjugio.*

1. Actiones quæ differunt specie moris (vt vocant) non differunt in specie naturæ & categorica.

2. Bonitas & malitia omnis moralis actionum est a circumstantijs, & nulla est bonitas ad nudam actionis essentiam pertinens, nisi transcendentalis, cui non datur malum oppositum.

3. Actio quælibet considerata sine circumstantijs omnibus est adiaphora, licet actiones cum quibusdam tantum consideratæ, aliæ sint bonæ, aliæ malæ, aliæ mediæ: & cum omnibus quibus in singulari & in exercitio junguntur, nulla prorsus sit adiaphora.

4. Circumstantia *quid agat* non est ipsa actio sed aliquid extrinsecus eam determinans.

V. Καὶ ἐστὶ τὸ ἥδεσθαι καὶ λυπεῖσθαι τὸ ἐνεργεῖν, τῇ αἰσθητικῇ μεσότητι· καὶ οὐκ ἕτερον τὸ ὀρεκτικὸν καὶ φευκτικὸν τῷ αἰσθητικῷ, ἀλλ᾽ ἀδιαίρετα ἄλλο. 3. de An. t. 29.

1. Appetitus irascibilis & concupiscibilis idem habent subjectum cum facultate sensitiva.

2. Male irascibili in corde, concupiscibili in jecore sedes

des tribuitur.

3. Si inde colligere liceret eas esse facultates diversas quod videantur pugnare, cum canis metu verberum abstinet a cibo, voluntas etiam in duas facultates esset distinguenda cum metu naufragij merces abijciuntur.

4. Cum facultas cognoscens vnic a est non sunt plures facultates appetitivæ eam sequentes.

VI. Affectiones in appetitu concupiscibili sunt cupiditas & fuga; gaudium & tristitia: in irascibili spes, & desperatio, timor & audacia, & denique ira.

1. Duas ponimus in concupiscibili respectu boni & mali futuri, duas respectu præsentis, duas in irascibili respectu boni futuri, duas respectu mali, nullam quæ versatur in bono præsenti, & iram circa malum præsens.

2. Non distinguimus amorem a cupiditate, & odium a fuga, vt facit Thomas.

3. Affectiones contrariæ inconcupiscibili circa contraria obiecta versantur, in irascibili contrario modo se habent circa idem subjectum, & sola ira contrariam non habet.

4. Non recte Stoici 4. numerantes cupiditatem, timorem, gaudium & tristitiam, timori cupiditatem opponunt.

5. Ex his manifestum est concupiscibilem & irascibilem circa idem re objectum versari posse, vt Picol. immerito Thomam vexaverit qui id asseruit.

VII. Omnis ignorantia est vitiosa quæ cum peccato in voluntate est conjuncta & causa est actionis vitiosæ.

1. Primum ergo malum in homine habebat non antecedentem sed concomitantem tantum defectum in intellectu, sive fuerit *incogitantia* & *ignorantia interpretativa*; sive fuerit *error*.

2. Potest fieri malum a causa bona sine vllo prævio in ea defectu.

VIII. Rex prudens priusquam bellum susceperit, reputat suas vires & opes secumque cogitat, quibus modis possit bellum feliciter conficere.

1. Temerarium est decretum de fine quod omnem cogitationem de mediis antegreditur, sine quorum intuitu nemo novit num valeat finem propositum assequi.

2 Et cum simul fiat decretum de fine & omnibus mediis cognitis, ineptum esset putare, post finem propositum deliberationem fieri de omnibus mediis, aut decretum de mediis semper esse diversum a decreto finis.

3 Imo nisi propter humanæ mentis caliginem futura prævideri non possent, decretum de mediis nunquam esset aliud a decreto de fine.

4. In Deo itaque qui nulla eget deliberatione, decretum finis & mediorum nec est diversum, nec debet tanquam diversum a nobis considerari: vt vana sit disputatio de ordine decretorum Dei.

5. Nunquam serio statuit ad salutem & felicitatem aspirare, qui non in animum induxit pie vivere.

IX. *Non potest facultas libera esse quæ necessario sequitur facultatem naturaliter operantem, & necessitas ex hypothesi est absoluta, si hypothesis fuerit necessaria.*

1. Libertatem prorsus evertunt qui dicunt intellectum necessario ex vi objecti & medii evidentis assentiri & voluntatem non posse non sequi ejus judicium, nec quicquam eos juvat distinctio sensus compositi & divisi.

2. Fateor intellectum semper voluntati prælucere verum nunquam judicat quid sit definite hic & nunc faciendum sine consensu voluntatis.

3. Actus intellectus voluntatem antevertens est quo iudicat de bonitate, vtilitate & convenientia mediorum & electionis, & res proponit voluntati vt eligibiles non vt determinate eligendas.

4. Intellectus movet voluntatem non effective aut imperative sed tantum per objectum.

5. Deus homines ad bonum non convertit per solam mentis illuminationem: non enim potest intellectus proposita objecta approbare & amplecti nisi voluntas flectatur.

THESES PHYSICAE.

IN *omni transmutatione est aliquod subjectum (græci πρώτον ὑποκείμενον vocant) quod idem manet sub vtroq; termino mutationis.*

tationis.

1. Datur materia prima in corpore naturali a forma diversa, quæ suam habet propriam & essentiam & existentiam.

2. Creatio non est mutatio, nisi velis cum ijs loqui qui dicunt non esse mutationem rei, sed cognitionis in re.

3. Non potest aliquid fieri ex aliquo totaliter transeunte, erit enim vnius annihilatio & alterius creatio, & fiet vnum post aliud, uon vnum ex alio.

4. Impossibilis est mutatio quam Schol. vocant *conversionem* aut *transubstantiationem*, qua sine aliqua annihilatione, sine nova creatione totaliter convertitur vna substantia in aliam, aut transubstantiatur in substantiam rei prius existentis.

5. Rectius philosophatur Durandus quam alii Pontificii, qui dicit materiam panis eandem manere in corpore Christi, licet omnes eum propterea exagitent.

II. Substantia per seipsam est receptiva accidentium, nec potentia ea in se recipiendi est accidens aliquod ab ea diversum.

1 Ergo nec potentia materiæ est accidens aliquod totaliter ab ipsa diversum.

2 Non est recipiendum vulgatum illud, potentiam & actum esse in eodem genere.

III. Deus non est causa particularis & proxima eorum quæ a rebus naturalibus fiunt.

1. Naturam prorsus evertunt qui omnem actionem causis secundis adimunt, & dicunt Deum in sole lucere, in igne vrere.

2. Falsum est Deum esse naturam, & improprie loquuntur qui dicunt Deum esse naturam naturantem non naturatam.

3. Deus non est motor primi cœli.

4. Argumentatio illa, qua investigat Arist. primum motorem, nititur falsis hypothesibus, & non probat Deum esse.

5. Metaphysicus a physico non accipit (vt non nulli volunt) primum illud principium *Deum esse.*

IV. Homo (inquit Aug:) nec est corpus nec anima sed quod iis constat: σῶμα καὶ ψυχὴ τὸ ζῶον 2. anim. c. 1.

1. Materia est in essentia substantiæ compositæ.

2. Non est aliud essentia & essentiam habens in materialibus vt voluit Averroes.

3. Merito reprehendunt Schol. l. 3. d. 21. Hugonem qui in triduo mortis Christi humanam naturam Christi divinæ unitam fuisse putabat, propterea quod Anima personæ verbi fuit coniuncta.

4. Recte videtur Durandus asserere mortuo Christo non mansisse unionem naturæ humanæ cum verbo (nisi in suis partibus) non propter separationem mutuam vnitorum, sed quia cessavit vnio propter non existentiam alterius extremi.

V. *Motus est actus Entis in potentia Subiectiva, non in potentia obiectiva.*

1. Non ideo dici potest definitionem motus generationi convenire quod dicatur actus generabilis, nam generabile est terminus non subjectum generationis.

2. Recte Phil. 5. Phys. generationem a motuum numero summovit, propterea quod solam materiam habeat pro subjecto, cum motus omnis subjectum habeat corpus naturale.

3. Motus omnis est continuus.

VI. Si Cœlum habet figuram recti-lineam propter παρέλλαξιν angulorum esset locus extra & vacuum extra cœlum. l. 2, t. 27 de Cœlo

1. Non veremur cum Scaligero asserere locum esse ipsum spatium quod corpus occupat non superficiem ambientem: nec de Philosopho sibi conciliando sumus solliciti.

2. Cœlum extimum est actu in in loco.

3. Male affirmat Suarez aliquod corpus suum *vbi* habere quod non est in loco.

4 Inepte objicit Bellar. cœlum extimum vt ostendat corpus alicubi esse posse sed non localiter, i. quantitatem posse existere sine *modo quantitativo*, vt loquitur Scotus.

5. Ideo quia locus est spatium in quo necessario extenditur quicquid habet partes extra partes, sequitur quantitatem extendi non posse nisi extendatur in ordine ad locum: vt merito subtilis Scaliger subtilem Doctorem damnaverit, inquiens *modum quantitativum* non esse accidens per accidens, sed proprium proprio modo dictum.

VII. Tempus est essentialiter ens successivum, cui plane repugnat vt partes ejus simul sint.

1. De reali præsentia verum essenon potest quod vulgo di-

citur omnia esse Deo præsentia: ad realem enim duorum præsentiam requiritur realis vtriusque existentia.

2. Intelligendum est illud non nisi de rerum præsentia in ejus consilio aut cognitione.

3. Qui negant hanc esse rationem præscientiæ divinæ quod Deus suo decreto omnia disponat, & hanc ipsi afferunt, quod propter ejus infinitatem omnia sint semper illi præsentia, aut afferunt eandem rationem quam reijciunt quod omnia sint in ejus decreto & consilio, aut plane nugantur dicentes res præsciri quia sunt ejus cognitioni præsentes.

4. Sententiam Scoti qui l. 1. d. 39. contendit rationem scientiæ intuitivæ & visionis in Deo (quæ propterea ab omnibus dicitur voluntaria) esse antecedens ipsius decretum tanquam veritati consentaneum exosculor & amplector.

VIII. Substantiæ incipiunt per primum sui esse *& desinunt per* primum sui non esse.

1. In eo instanti in quo desinunt non sunt in instanti quo generantur sunt.

2. In instanti generationis simul incipit genitum & desinit corruptum, sed vtrumque simul non est.

3. A vera Philosophia maxime abhorret eorum sententia qui dicunt in instanti generationis simul esse duas formas in eadem materia: in eadem simul esse privationem & formam, & in instanti illo materiam tanti m per motum generationi & non per aliquam formam actuari.

4. Licet verum sit genitum succedere corrupto, corruptum desinere in instanti, & genitum in instanti incipere, non tamen sequitur instans instanti immediate cohærere.

IX. Hor. & Meridianus sunt circuli immobiles, qui dum omnes cœli partes circumrotantur fixi manent, respectu tamen diversorum locorum mutantur.

1. Sunt plane imaginarii, nec prout reliqui circuli certam aliquam ipsius cœli partem nobis representant.

2. Oriens, occidens, meridies, media nox: & proinde etiam dextrum sinistrum, ante retro; secundum naturam in partibus cœli non distinguuntur.

3. Si verum sit quod dicunt Astronomi esse aliquod Oriens absolute, concedo differentias illas secundum naturam in

loco

loco cœli distingui: sin autem figmentum (quod verius esse puto) loco cœli non nisi respective, partibus cœli nullo modo conveniunt.

X. Non minore vi fertur ignis sursum quam aqua deorsum.

1. Quemadmodum ergo aqua semper deorsum fertur ad locum decliviorem dum se in globum in suo loco conglomeret, ita partes omnes ignis sursum evolant, vt quam possint proxime ad circumferentiam accedant.

2. Falsum est superficiei convexæ aeris & concavæ ignis figuram esse ovalem.

XI. Totum illud quod constat ex materia prima & forma mistionis in viventibus est materia in qua recipitur anima, (quæ est actus corporis organici) & nec est quid completum, nec quid vnum.

1. Ergo forma mistionis non dat esse genericum misti.

2. Fungitur munere formæ respectu materiæ primæ, nam constituit partes misti heterogeneas, sed respectu animæ & animati ad materiam pertinet.

3. Et quia contradictionem implicat aliquid esse mistum & non propter compositionem ex elementis affirmo esse genericum misti & omnium generum superiorum & a forma mistionis & ab anima tribui, esse autem animati & omnes gradus inferiores a sola anima.

4. Nihil vanius dici potest quam quod asserunt Thomistæ animā in ipsa materia prima recipi & in cadavere novam formam generari.

XII. Corpora liquida quæ facile miscentur, ita sunt per naturam comparata vt si extrema promoveantur, statim fiant continua.

1. Cum vino infunditur aqua prius fit cum eo continua quam in ejus substantiam convertatur.

2. Quæ specie differunt, continua esse possunt, & quæ actu sunt plura physice, mathematice vnum sunt & potentia tantum plura.

3. Continuum potest agere in aliud sibi continuum.

4. Scaligeri sententiam veram esse existimo dicentis alimentum prius in poris corpori agglutinari quam in ejus naturam transeat.

5. Nec dubitarem illud admittere quod tradit Hippocrates omnia membra humani corporis a capite ad calcem continue

co

cohærere; & quod dicunt medici omnem διάρθρωσιν habere σύμφυσιν conjunctam, & σύμφυσιν mediatam triplicem esse interjectu cartilaginis, carnis & nervi.

XIII. Facultas vegetativa tota versatur circa alimentum.

1. Facultas vitalis aut est efficiens accretionis & nutritionis aut omnino non est vegetativa.

2. Frivolum est quod dicunt eam versari circa alimentum quod conficiat spiritus vitales, nam partes impellentes & contentæ non sunt animatæ.

3. Hepar esto principium ῥιζώσεως venarum, [illegible]τικήσεως sanguinis, non tamen est sedes facultatis vegetativæ [illegible] cor.

XIV. Partes membraneæ in corpore tactum habent acutissimum.

1. Cutis cum sit membraneæ naturæ eo sensu est prædita, & habet non solum communem *usum* sed *actionem* etiam *officialem*.

2. Non aliud est medium internum tactus quam ἐπιδερμὶς & cuticula.

3. Nervi licet sint spirituum animalium portitores, non sunt præcipuum sensuum organum; in solo enim sensu auditus primarium organum esse nervum agnosco.

4. Sensibile positum supra sensorium non sentiri verum est tantum in sensibus ad *bene esse* necessariis visu, auditu, olfactu: non in necessariis ad *esse*, gustu & tactu, nam detracta cuticula cutis quæq; obvia percipit.

XV. Deficiente sensu deficit scientia omnis proprii sensibilis.

1 Qui est surdus a nativitate nescit quid sit vox aut sonus.

2. Ergo licet organa loquendi fuerint in eo illæsa, perpetuo silentio oportet obmutescat.

3. Non assentior doctiss. Laurentio qui surdos sermonem habituros putat nisi organa propter Sympathiam cum auditu communi malo affligerentur, quorsum enim sermo esset qui se non audiret licet Stentoream vocem emitteret, & qui plane nescit quid sit vox?

XVI. Nemo dicet se sentire montem aureum quem imaginatione sibi confingit.

1. Phantasia non est sensus, sed motus factus in sensu & ei tribuit Phil. actum intelligendi non sentiendi.

2 Arist.

2. Arist. aut parum attente leg erunt aut non intellexerunt qui 4 numerant sensus internos.

3. Vnicus est sensus internus n. communis.

4. Non omnis facultas cognitiva ad sensitivam facultatem pertinens est sensus.

5. Omnis sensus est objecti præsentis.

XVII. Est in brutis vis sensitiva qua iudicant sitne objectum noxium an conveniens (vim æstimativam vocant) quam sequitur appetitus & fuga.

1. Est ergo in brutis vmbra iudicii & aliquid proportione respondens secundæ mentis operationi teste etiam Phil. 3 de ani. t. 28.

2. Quid vetat igitur aliquid iis concedere quod respondeat tertiæ mentis operationi? quum ab vno ad aliud progrediatur eorum sagacitas.

3. Et sicut vis æstimativa ad facultatem sensitivam pertinet, ita nullam rationis vmbram iis concederem, quæ non ad facultatem sensitivam pertineat.

XVIII. Quæcunque fiunt concurrente aliquo in genere causæ materialis, a materia etiam in esse pendent.

1. In productione entium spiritualium non possunt plura quam duo causarum genera concurrere.

2. Non possunt produci nisi per creationem.

3. Anima non est ex traduce, sive dicas educi ex potentia materiæ sive non: falsum est educi quia est substantia immaterialis: non producitur a parente sine eductione, quia parens esset Creator.

4. Nulla forma materialis & quæ educitur e potentia materia est æterna aut immortalis.

XIX. Si qua est omnino in anima separata cognitio, non dubito quin malefactorum conscientia animas impiorum torqueat.

1. Est memoria intellectiva in homine, præter eam quæ est in parte sensitiva.

2. Species intelligibiles in intellectu conservantur & non est necesse rem semper intelligi cum ejus species est in intellectu.

3. Licet animæ hinc migrantes statum in quo Ecclesiam & fratres militantes reliquerant memoria teneant, nolim certe

af

affirmare eas precibus Deo eum commendare, nesciunt enim num adhuc in eo statu permaneant.

THESES GEOMETRICAE.

IN triangulo omni majori angulo majus latus subtenditur & contra: æqualibus angulis æqualia latera subtenduntur & contra.

1. Quot sunt latera æqualia tot sunt anguli æquales, & semper quæ est proportio lateris ad latus eadem est angulorum subtendentium.

2. Triangulum æquilaterum est æquiangulum, & Isosceles anguli ad basin sunt æquales in Scaleno autem nulli anguli sunt æquales.

3. Linea perpendicularis est omnium brevissima quæ ab eodem puncto in eandem lineam rectam cadunt

II. Omnis trianguli tres anguli sunt duobus rectis æquales.

1. Ergo si linea incidens in duas rectas facit angulos internos ad easdem partes æquales duobus rectis lineæ illæ nunquam coincident.

2. Triangulum Amblygonium & Orthogonium nunquam est æquilaterum.

3. In quotcunq; triangula aliæ figuræ dividi possunt, duplo plures erunt anguli recti quibus anguli interni sunt æquales.

4. In quacunque figura rectilinea productis omnibus lateribus, anguli externi sunt æquales quatuor rectis.

5. Omnis angulus trianguli æquilateri continet duas tertias partes recti.

6. Æquales anguli non semper comprehenduntur æqualibus lateribus, nec æqualibus angulis æqualia latera subtenduntur.

III. *In omni figura regulari latera habente paria numero, latera opposita sunt æqualia & parallela.*

Non omnis figura rectilinea est Parallelogrammum in qua latera opposita sunt parallela & æqualia, & anguli oppositi æquales,

IV. Parallelogramma & triangula inter eaſdem parallelas ſuper eadem aut æqualibus baſibus conſtituta ſunt æqualia.

1. Figuræ æquales non ſemper ſunt iſoperimetræ.

2. Diameter ſecat Parallelogrammum in duo triangula æqualia.

3. Linea omnis a vertice trianguli ducta ſecans baſin bifariam, dividit triangulum bifariam.

4. Triangula æque alta ſe habent vt baſes.

V. Impoſſibile eſt omnes lineas rectas ab eodem puncto in eandem lineam rectam cadentes eſſe æquales.

1. Nulla pars circumferentiæ circuli eſt linea recta.

2. Circulus tangit planum tantum in puncto.

3. Quo major eſt globus tangens planum, eo minor eſt angulus contingentiæ, ſed non tangit in minore parte.

4. Linea recta ducta inter quælibet duo puncta circumferentiæ cadit intra circulum, & omnis linea tangens circulum cadit extra eum.

5. Male demonſtravit tetragoniſmum Antipho.

6. Poteſt ſolidum quieſcere habens pro baſi ſolum.

VI. Linea ducta a centro circuli ad punctum contactus eſt omnium breviſſima quæ a centro ad lineam tangentem ducuntur.

1. Diameter circuli cadit perpendiculariter in lineam tangentem in puncto contactus.

2. Nulla linea recta inter tangentem & circuli peripheriam duci poteſt ad punctum contactus.

3. Angulus contingentiæ eſt minor quolibet rectilineo acuto, angulus autem ſemicirculi ſemper eſt maior.

4. Angulus contingentiæ augeri poteſt in infinitū, angulus rectlineus acutus poteſt minui in infinitum, ſemper tamen rectilineus acutus eſt major angulo contactus.

5. Non licet ita argumentari: datur rectilineus angulus major angulo ſemicirculi, datur rectilineus minor; ergo datur æqualis.

6. Si concipiamus diametrum circuli cujus extremitas eſt punctum contactus, moveri circulo immobili, dum coincidat cum linea tangente, fiet continuus tranſitus ab angulo rectilineo, qui minor eſt angulo ſemicirculi, ad angulum eo majorem, nec tamen per æqualem.

THESES ASTRONOMICÆ.

Planetis quibusdam ad rationem Phænomenon reddendam tribuunt Astronomi, præter deviationem Eccentrici, inclinationem Epicycli, etiam reflexionem diametri.

1. Præter motum in longitudinem habent etiam motum in latitudinem.

2. Non est necesse si plures motus orbi alicui conveniant vt vnum habeat sibi proprium, & alium aliunde communicatum.

II. *In Sphæra recta Æquator semper secat Hor. ad angulos rectos, aliqua tamen signa sunt majora suis ascensionibus.*

1. Non est verum quo arcus rectiores facit cum Hor. angulos, eo tardius eum oriri sed quo majores & obtusiores.

2. Ortus tardus aut male vulgo appellatur rectus aut male appellationis illius rationem afferunt.

III. *Die brevissimo hyberno Sol non habet elevationem meridianam supra 10. grad. & semiss. aut circiter.*

1. Nocte ergo brevissima æstiva (qua tamen nobis non est continuũ crepusculum) non longius abest ab Hor. in media nocte.

2. Falsum est esse semper crepusculum cum Sol minus 18. grad: ab Hor. distat.

3. Non aliud dixit Ptol. quam incipere diluculum cum Sol in circulo parallelo diei naturalis minus 18. grad: ab Hor. pertranseundos habet & inepte eum Author de Sphæra aliter intellexit.

IV. *Sol movetur regulariter super centro eccentrici; & proinde irregulariter in Ecliptica super centro mundi,*

1. Linea medij motus Solis, est ducta a centro mundi, parallela lineæ ductæ a centro eccentrici ad centrum Solare.

2. Linea medij motus coincidit cum linea veri motus cum Sol est in Auge aut opposito.

3. Motus Solis tardior est cum est juxta augem, velocior circa oppositum.

4. Dum Sol movetur in medietate Zodiati quæ est ab auge in oppositum linea medii motus præcedit lineam veri motus, in altera medietate contra se habet.

V. De

V. Deferentes Augem Lunæ moventur in antecedentia quotidie 11 *g.* 12. *m. deferens epicyclū Lunæ movetur in consequentia quotidie* 13. *g,* 11 *m. linea autem medii motus Solis nunquam longius abest ab Auge, quam a centro epicycli.*

1. Excessus quo motus centri Epicycli superat motum Augis Lunæ quotidie, est duplus motus medii solis quotidie.

2. Centrum ep: Lunæ est in Auge in omni Conjunctione, & in omni oppositione media: in quadraturis mediis semper est in opposito Augis.

3. In mense synodico Luna bis est in Auge, bis in opposito Augis, quater in longitudine media.

4. Luna in plano deferentium augem super axe eorum axi parallelo describit circumferentiam figuræ ovalis.

5. Aux Lunæ prius pervenit ad Synodum quam periodum absolvat, Luna prius revolutionem perficit quam ad Coniunctionem perveniat.

VI. In Conjunctione media Sat: Iovis, Martis cum Sole, Planetæ sunt in Auge media sui epicycli, in oppositione media, in perigæo eiusdem.

1. Epicycli periodum perficiunt, eo tempore quod intercedit a Conjunctione ad Conjunctionem planetæ cum Sole.

2. Motus medius centri ep. simul cum motu planetæ in ep. est æqualis motui medio Solis.

3. Quo tardior est motus ecc- eo velocior est motus ep. vnde velocior est ep. Sat. quam Iovis, & Iovis quam Martis.

4. Martis ecc. velocior est ep. in reliquis duobus contra.

5, Quantum distat linea medii motus Solis, a linea medii motus plan. tantum in ep. est argumentum medium,

6. Observare licet pulcherrimam Sympathiam planetarum omnium cum Sole: & in tanta varietate ordinatissimorum motuum verissimum esse illud Psaltæ,

Cœli enarrant gloriam Dei.

FINIS.

EX BIBL. OMN. TORUNEN.